bet dicere omnes commemorationes, quae a sacerdotibus

(1) Cav. T. 3. in append. ad cap. 9. decr. in ord. 478.

(2) S. R. C. 11. Jun. 1701 n. 3586 ad 2—7 Maji 1746 n. 4181
ad 13. q. 2.—16 Apr. 1834 n. 4725 ad 2.—Gav. T. 1. p. 3. tit.
10. n. 16.—Mer. T. 1. p. 1. tit. 1.—Cav. T. 3. in append. ad cap.
9. decr. in ord. 478.

Ecclesiae inservientibus dicuntur. Si officium Ecclesiae nullam habeat commemorationem et in officio Sacerdotis sunt commemorationes, tunc debet in missa omittere, quando dicit missam officii Ecclesiae. Si vero et officium Ecclesiae habeat commemorationes et officium sacerdotis, sed alias ab officio Ecclesiae, tunc sacerdos celebrans missam Ecclesiae debet et commemorationes ejusdem dicere, suasque omittere. Quando sacerdos dicit missam de officio Ecclesiae, non potest etiam facere commemorationem proprii officii; nisi officium Ecclesiae pluralitatem orationum includat; uti in officio Dominicæ, in quolibet officio semiduplici, simplici et feriali; tunc secunda oratio fit de officio proprio sacerdotis celebrantis, tertia vero, quae in Directorio Ecclesiae est secunda.

4. Quando sacerdos celebrans in aliena Ecclesia non tenetur huic Ecclesiae se conformare quoad missam, sed tantum quoad colorem; seu quando sacerdos in aliena Ecclesia dicit missam sui officii, non tenetur etiam se conformare quoad alia; nempe quoad Gloriam, Credo, Praecationes et commemorationes, sed in omnibus juxta suum proprium Directorium missam celebret.

5. Festa fundatorum ordinum a sacerdotibus corundem semper celebrantur sub ritu duplici primae classis cum octava atque cum Credo (1). Et regulares in festo fundatoris seu Patriarchæ sui Ordinis possunt addere Symbolum in missa, non tantum in Ecclesiis propriis, sed etiam extra proprias sui ordinis Ecclesiæ celebranda (2).

6. Sacerdotes confluentes ad Ecclesiæ confraternitatum in festis patronorum et titulorum earumdem confraternitatum, addere Credo in missa et dicere unicam orationem non debent (3).

7. In oratione *A cunctis* ad litteram N. nominandus est non patronus loci, sed principalis patronus seu titu-

(1) S. R. C. 12 Mart. 1836. n. 4772 ad 3—22. Jul. 1848 n. 5125 ad 9.

(2) S. R. C. 18 Dec. 1779. n. 4895 ad 7.

(3) S. R. C. 23 Sept. 1837. n. 4815 ad XII. q. 2.

laris proprius Ecclesiae, in qua celebrat exter sacerdos. Si vero titularis jam fuerit nominatus in hac oratione, omittenda est nova nominatio (1).

8. In Canone missae ubi dicitur: *et pro Antistite nostro N. nominandus est Episcopus loci, in quo celebratur, etiam a Sacerdotidus alienae Dioecesis* (2).

II.

Sacerdos celebrans in aliena Ecclesia et obligatus illi sese conformare, attendere adhuc debet, an festum in hac Ecclesia celebratur solemniter et cum concursu populi vel sine celebritate.

1. Quando in aliqua Ecclesia celebratur festum cum solemnitate et concursu populi, sacerdotes exteri tam saeculares quam regulares ea die ex devotione ad hanc Ecclesiam confluentes; non tantum in colore ss. paramentorum, sed etiam in missa tam salemniter cantata quam lecta, debent sese conformare Ecclesiae, in qua celebrant. Et hoc semper est servandum sive sit idem sive diversus color Ecclesiae et celebrantis; licet sacerdotes exteri habeant officium altioris ritus, uti duplex primae aut secundae classis, aut in propria Ecclesia item cum solemnitate et sib utroque praecepto celebratum (3). Unde:

a) Sacerdos habens officium Dedicationis sub ritu duplice 1. cl. cum oct. ac coloris albi, et celebrans in Ecclesia, ubi fit festum S. Patroni Confessoris aut aliis ejusdem albi coloris sub eodem ritu duplicitis 1. cl. vel etiam minoris, atque cum solemnitate et concursu populi, debet dicere missam non de suo officio Dedicationis, sed propter solemnitatem festi in illa Ecclesia de S. Pa-

(1) S. R. C. 26. Jan. 1793 n. 4448 ad 15—12 Nov. 1831 n. 4669 ad 31. q. 2. et 3.

(2) Justa Rub. de ritu celebr. mis. tit. 8. n. 2.

(3) S. R. C. 11 Jun. 1701 n. 3686 ad 1.—29 Jan. 1752 n. 4223 ad 10—22 Mart. 1817 n. 4533 ad 1.

trono, absque ullo respectu ad Dedicationem suaे Ecclesiae; licet proprium ejus officium item est dx. 1. cl. ejusdemque albi coloris et cum solemnitate celebratum, ob eamdem causam vicissim sacerdos habens officium Patroni Ecclesiae sub ritu dx 1. cl. sive albi sive rubri coloris, et celebrans in Ecclesia, ubi fit festum cum solemnitate Dedicationis, debet dicere missam de Dedicatione. Sic Dominica III. post Pasch. Vilnae in Ecclesia ad portam Acialem celebratur festum Patrocinii S. Joseph sponsi B. M. V. dx. 2. cl. cum solemnitate et concursu populi. Si ergo aliquis exter sacerdos, qui hac die recitat officium Dedicationis propriae Ecclesiae sub ritu dx. 1. cl. item cum solemnitate, celebret in cadem Ecclesia, omnino tenetur propter solemnitatem dicere missam de festo Ecclesiae; id est de Patracinio S. Joseph; licet utrumque feslum ejusdem sit coloris, et sacerdos habeat officium altioris ritus. Vicissim quando sacerdos inseriens Ecclesiae ad portam acialem celebrat cadem die in Ecclesia in qua fit festum Dedicationis ejusdem, debet ob eamdem causam dicere missam de Dedicatione, quia festum Dedicationis propriae Ecclesiae semper cum solemnitate peragitur.

b) Sacerdos habens officium de S. Confessore vel aliud in colore albo, etiamsi dx. 1. vel 2. cl. et celebrans in Ecclesia, ubi fit festum cum solemnitate de S. Martyre in colore rubro et sub ritu duplicitis cujuscumque ille sit classis, multo magis dicenda est missa ab eo de S. martyre, tam propter solemnitatem festi, quam propter conformitatem coloris vgr. Vornis in Dioecesi Samogitiensi die 18 Martii celebratur festum cum solemnitate et concursu populi S. Alexandri Ep. M. princip. P. D. S. dx 1. cl. in paramentis coloris rubri. Eadem die in Dioecesi Vilnensi festum est S. Gabrielis Archan. dx majoris in colore albo. Igitur quilibet Sacerdos tam saecularis quam regularis ex Dioecesi Vilnensi die 18 Martii celebrans in Ecclesia Vornensi, debet dicere missam sive lectam sive cantatam solemnem de festo Ecclesiae, id est de S. Alejandro in colore rubro.

2. Quando festum in aliqua Ecclesia celebratur cum solemnitate, uniformitas servanda est a sacerdotibus exteris nedum quoad missam, sed etiam quoad Credo et numerum orationum more duplicium (1). Sic die 8 Februarii celebratur festum S. Joannis de Math Fundatoris Ord. SS. Trinitatis dx sine Credo. Sed in Ecclesiis Ord. SS. Trin. idem festum celebratur cum solemnitate sub ritu dx 1. Ic. cum oct. et cum Credo. Omnes ergo exteri sacerdotes tam saeculares quam regulares aliorum Ordinum, qui juxta suum Directorium non habent Cr. celebrantes illa die in Ecclesia PP. SS. Trinitatis debent dicere missam de S. Joanne, juxta Directorium ejusdem ordinis cum Credo. Item Vilnae in Ecclesia S. Michaelis Monialium S. Francisci de Observantia die 19 Novembris celebratur festum cum solemnitate S. Elisabeth vid. ritu dx 1. cl. Igitur omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares cadem die celebrantes in hac Ecclesia tenentur dicere missam de S. Elisabeth cum Gl. et Cr. sine ulla commemoratione. Nam commemorationes octavae S. Stanislai Kost. et S. Pontiani P. M. ob dx 1. cl. in hac Ecclesia omnituntur, quae alibi celebrando sunt dicendae.

3. Si aliqua die juxta Calendarium celebrari debet festum cum solemnitate et cadem die incidit officium privilegiatum, aut festum altioris ritus etsi sine solemnitate, quod impedit officium festi cum solemnitate celebrati; tunc illa die ob concursum tantum populi solemnis fit celebritas hujus festi et officium illius in aliam non impeditam festo novem lectionum diem transferatur (2). Item in quibusdam dioecesibus Regni Poloniae et Magui Ducatus Lithuaniae ex Indulto Apostolico (3), festa in mensibus Julio, Augusto et Septembri, atque multis aliis diebus infra octavam occurrentia, ob com-

(1) S. R. C. 11 Jun. 1701. n. 3686 ad 2—Cav. T. 3. cap. 12
decr. in Ord. 80. n. 7.

(2) Rub gen. Brev. Rom tit. 10 n. 1.

(3) Benedictus XIV.

moditatem populi, quoad solemnem celebrationem in sequentes Dominicas transferuntur; eorumque tantum officia die cadenti recitantur. Igitur quando in aliqua Ecclesia festum sive translatum sive die cadenti cum solemnitate tantum ad populum sine officio celebratur, et hac die officium Ecclesiae aliud est a festo in ea celebrato, tunc omnes sacerdotes tam exteri quam huic Ecclesiae inservientes, debent dicere missam non de festo celebrato, sed de officio, quod praescribit Directorium Ecclesiae, in quo festum solemne celebrant; neque missae dici addi potest commemoratio de festo ad populum celebrato (1). Una tantum missa ritu votivae solemnis de festo celebrato in hac Ecclesia sive a proprio sive ab alieno sacerdote cantari potest (2); exceptis diebus per rubricas notatas (3). Vgr. Die 8. Decembris celebratur festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. dx 2. cl. cum oct. eum solemnitate et concursu populi sub utroque praecerto. Sed eadem die anno 1863 cadit privilegiata Dom. 11. Adv. 2. cl. quae impedit officium Immaculatae Conceptionis. Propterea hoc anno festum Immac. Concept. celebratur die propria tantum quoad solemnitatem sine officio; et ob concursum populi potest de eo cantari una missa in colore albo ritu solemnis votivae cum Gl. Cr. et ult. ev. S. Joan. sine ulla commemoratione, neque Dominicæ. Omnes alii sacerdotes tam exteri quam cujuscumque Ecclesiae adscripti debent dicere missam de Dominicæ in colore violaceo, sine ullo respectu ad festum celebratum; neque missae Dominicæ potest addi commemoratio Immac. Conceptionis. Si Immac. Concept. titulus est alicujus Ecclesiae, adeoque ritu dx 1. cl. celebratur, vel ex privilegio apostolico hunc ritum dx 1. cl. habet, tunc officium ejus non transfertur in aliam diem, sed die cadenti 8 Decembris semper recitatur;

(1) S. R. C. 7. Maji 1852 n. 5183 ad 13.

(2) S. R. C. 27 Mart. 1773 n. 4361 ad 11.

(3) Sub. gen. Missal. tit. 6.—S. R. C. 7. Maji 1853 n. 5183 ad 29.

etiamsi hoc festum Dom. 11. Adv. venerit. Missae quoque in tali casu tam privatae quam solemnis, ab omnibus sacerdotibus adscriptis Ecclesiae et exteris de Immac. Concept. cum com. et ult. ev. Dom. Celebrantur.— Item die 23. Apr. in Dioecesi festum est S. Georgii M. P. M. D. Lith. dx. 1. cl. eum oct. Hoc festum in multis Ecclesiis celebratur cum solemnitate et concursu populi, sed in quibusdam etiam Ecclesiis parochialibus ejusdem festi S. Georgii solemnitas transfertur in sequentem Dominicam ob commoditatem populi, qui ad celebrandum solemniter idem festum die cadenti vicinas Ecclesias frequentare solet. Igitur Sacerdotes adscripti his Ecclesiis die 23 Apr. recitant officium cum missa S. Georgii; Dominica autem sequenti, quando celebratur ejus solemnitas, tam proprii Ecclesiae sacerdotes, quam exteri ad celebrandum hoc festum ad eandem Ecclesiam confluente, missas dicunt de Dominica vel de alio officio hae die cadenti, juxta Directorium Ecclesiae; praeter unam missam solemnem, quae tali modo celebratur de S. Georgio, uti supra dictum est de festo Immac. Conceptionis.— Aliquando festum S. Georgii incidit diebus impeditis, uti quando incidit diebus infra octavam Paschatis; tunc transfertur quoad officium in aliam diem non impeditam; solemnitas tantum ejus, quae in tali casu non transfertur, celebratur die cadenti 23 Apr. cum una solum missa, sicuti supra in festo Immac. Concep. exceptis Dominica Resurrectionis, atque feria 2. et 3. Paschatis, quibus nec una missa de festo S. Georgii celebrari potest.

4. Quando in aliqua Ecclesia celebratur festum cum solemnitate et concursu populi, de quo sacerdotes inserentes huic Ecclesiae non recitarunt officium; ac si aliqui ex confluentibus sacerdotibus ad celebrandum idem festum juxta proprium Directorium officium recitarunt de festo in hac Ecclesia celebrato, atque eadem die color festi celebrati et officii Ecclesiae est idem, tunc tales ex confluentibus sacerdotibus privatas etiam missas de festo solemniter celebrato dicere possunt. Sic in Dioecesi Vil-

nensi Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. plerumque recitatur officium de octava Joachim; in Cathedrali autem Vilnensi Ecclesia eadem Dominica celebratur ad populum tantum sine officio festum SS. Nominis B. M. V. ratione cuius in illa Ecclesia cantatur solummodo una missa ritu votivae solemnis. Sed si eadem die ad Ecclesiam Cattedralem celebrandum veniant sacerdotes regulares, qui officium de ss. Nomine B. M. V. recitarunt, de codem festo et missas privatas dicere possunt; quia color SS. paramentorum festi Nominis B. M. V. est idem albus, ac octavae S. Joachim.

III.

1. Omnibus diebus, quibus non celebratur festum in Ecclesia cum solemnitate, sacerdotes exteri debent sese conformare cum sacerdotibus illius Ecclesiae, in qua celebrant, si non semper in missa, saltem quoad colorem (1). Sed hic occurrunt nonnulli casus quoad ritum et colorem. Nam officium celebrantis et Ecclesiae potest esse ejusdem ritus et ejusdem coloris, aut diversi ritus et diversi coloris, vel diversi ritus et ejusdem coloris, aut ejusdem ritus et diversi coloris. Quomodo ergo sacerdos celebrans in aliena Ecclesia in his similibusque casibus se gerere debet, et quaenam ab eo missa est celebranda ex sequentibus patebit.

2. Quando in aliqua Ecclesia, in qua exter Sacerdos dicit missam, celebratur festum duplex sine solemnitate, atque officium Ecclesiae et sacerdotis exteri in ea celebrantis ejusdem est coloris, tunc hic sacerdos missam suam debet conformare non officio Ecclesiae, sed suo proprio; seu debet dicere missam conformem officio quod ipse hac die recitavit, quia in tali casu officium duplex Ecclesiae exigit solummodo concordantiam coloris, non autem missae: et hoc obtinet sive officium Ecclesiae et

1. S. R. C. 4. Sept. 1745 n. 4175 ad 8.—7. Maji 1746 n. 4181 ad 13. q. 2—12 Nov. 1831 n. 4669 ad 31. q. 1.

celebrantis sit aequalis sive inequalis ritus (1). Sic sacerdos recitans officium duplex de S. Confessore, quod exigit colorem album et celebrans in aliena Ecclesia, ubi fit officium de S. Virgine item sub ritu duplo et exigens eundem album colorem, debet dicere missam conformem suo officio; scilicet de S. Confessore. Hanc ob causam sacerdos saecularis Dioecesis Vilnensis die 31. Julii V. S. habens officium S. Ignatii C. sub ritu duplo et celebrans in aliqua Ecclesia Dioecesis Lublinensis, ubi eadem die, quae est 12. Augusti N. S. recitatur officium S. Clarae V. pariter ritu duplo, debet dicere missam propriam juxta Directorium Dioec. Viln. de S. Ignatio cum Cr. et com. oct. B. Cunegundis. Vicissim sacerdos ex Dioecesi Lublinensi celebrans hac die in aliqua Ecclesia Dioec. Viln. debet juxta proprium Directorium dicere missam sui officii de S. Clara sine Cr. cum com. S. Laurentii, quia utriusque officii idem est color ss. parentorum.

3. Quando in aliqua Ecclesia peragitur festum duplex sine solemnitate, ac color officii Ecclesiae diversus est a colore officii celebrantis, tunc sacerdotes exteriores non tantum debent se uniformare officio hujus Ecclesiae in colore, sed etiam in missa; seu debent dicere missam conformem non suo officio, sed officio hujus Ecclesiae, scilicet de Sancto vel mysterio, de quo in hac Ecclesia recitatur officium; licet officium Ecclesiae inferioris sit ritus ab officio celebrantis (2). Unde:

a) Sacerdos recitans officium duplex de S. martyre, quod exigit colorem rubrum, et celebrans in aliena Ecclesia ubi fit officium duplex de S. confessore, ratione cuius adhibetur color albus, non potest dicere missam sui officii de S. martyre nec in colore rubro, quia color Eccle-

(1) S. R. C. 22 Mart. 1817 N. 4533. ad 1.—12. Nov. 1831 n. 4669 ad 31. q. 1.

(2) S. R. C. 4. Sept. 1745 n. 4175 ad 8—7 Maji 1746 n. 4181 ad 13. q. 2—7 Sept. 1816. n. 4526 ad 18 et 19—22 Mart. 1817 n. 4533 ad 1—16. Apr. 1834 n. 4725 ad 2.

siae non permittit; nec in colore albo, quia albus pro rubro adhiberi nequit; sed tenetur dicere missam officii Ecclesiae, in qua celebrat, id est de S. Confessore in paramentis albis. Vicissim sacerdos recitans officium duplex de S. Confessore vel Virgine et celebrans in aliena Ecclesia, ubi fit officium duplex de S. Martyre, debet dicere missam de S. Martyre in colore rubro (1). Vgr. Sacerdos saecularis Dioecesis Vilnensis die 30 Augusti habens officium dx maji de SS. MM. Felice et Adaucto in colore rubro, et celebrans eadem die in Ecclesia PP. Minorum de Observantia ubi est officium dx. S. Rosae V. in colore albo, debet missam dicere officii Ecclesiae de S. Rosa in paramentis albis juxta Directorium Ecclesiae cum commemoratione SS. MM. Felicis et Adaucti. Vicissim sacerdos ex Ordine PP. Minorum de Observantia celebrans eadem die in aliqua Ecclesia saeculari Dioec. Viln. debet dicere missam de SS. MM. Felice et Adaucto juxta Directorium Ecclesiae sine ulla commemoratione.

b) Sacerdos habens officium Dedicationis sub ritu dupli 1. cl. cum oct. et celebrans in Ecclesia, ubi fit officium de S. Martyre sub ritu tantum dupli, neglecto officio suo Dedicationis tenetur dicere missam de S. Martyre in paramentis coloris rubri; licet officium celebrantis altioris est ritus. Ob eandem rationem sacerdos saecularis Dioec. Viln. die 19 Januarii recitans officium de S. Henrico Ep. M. ritu dx 1. cl. cum oct. et celebrans hac die in Ecclesia PP. B. M. V. de monte Carmelo aut reg. obser. qui habent officium S. Dyonisii Ep. C. dx. tenetur dicere missam de S. Dyonisio in paramentis albis. Et vicissim.

c) Sacerdos habens officium dx vgr. S. Martyris ac celebrans in Ecclesia ubi fit officium de Dominica, quae est sdx et exigit colorem viridem aut violaceum tenetur dicere missam de Dominica in paramentis coloris viridis aut violacei. Sed quum missa Dominicalis inclu-

(1) Decreta supro laudata.

dat pluralitatem orationum, proinde in hac missa secundo loco facit commemorationem officii sui, id est S. Martyris, et tertio loco eam, quae in Directorio Ecclesiae secundo loco dicenda notatur. Si vero S. Martyr de quo sacerdos celebrans recitat officium sit patronus principalis ipsius propriae Ecclesiae vel loci, adeoque ritus dx 1. cl. et habeat octavam, tunc faciet tantum commemorationem sui patroni et nihil amplius, quia duae solumodo ex praescripto dicuntur orationes omnibus Dominicis infra octavas, si eadem die commemoratio simplicis aut alterae octavae non eadit.

4. Sacerdos habens officium de Dominica extra octavam in colore viridi et celebrans in aliena Ecclesia, in qua fit officium de Dominica infra octavam, consequenter in colore albo vel rubro, potest in missa uti coloribus ss. paramentorum octavae, juxta ritum Ecclesiae, in quo celebrat (1), et apponere commemorationem octavae, servata rubrica de duplice oratione, in Dominica infra octavam habenda; scilicet prima or. de Dominica, secunda de octava (2). Vicissim sacerdos habens officium de Dominica non privilegiata infra aliquam octavam et celebrans in aliena Ecclesia, ubi est officium de Dominica sed absque currente octava, potest in missa uti ss. paramentis Ecclesiae, id est coloris viridis cum commemorationibus quae in Directorio Ecclesiae notantur.

5. Sacerdos habens officium duplex, quod non admittit votivas et celebrans in aliena Ecclesia uti Regulare, ubi fit officium de Semiduplici simplici aut de feria, non potest dicere missam votivam privatam, quia proprium officium duplex missas votivas prohibet (3).

6. Sacerdos, qui recitavit officium semiduplex aut

(1) S. R. C. 11 Jun. 1701 n. 3586 ad 3—Cav. T. 3. in ap. poud. ad cap. 9. decr. in ord. 478.

(2) S. R. C. 11 Jun. 1701 n. 3586 ad 4.—Rub. missal. tit. 9. n. 10.

(3) S. R. C. 7 Sept. 1816 n. 4526. ad 20—16 Dec. 1828 n. 4646.

inferioris ritus, scilicet simplex aut feriale, quod admittit missas votivas, celebrans in aliqua Ecclesia regularium, in qua eadem die fit officium de festo dupliciti sub alio colore, licet de non praecepto et sine solemnitate, non potest dicere missam votivam, quamvis in colore officii Ecclesiae ubi celebrat, quia duplex officium hujus Ecclesiae, cui in hoc casu quoad missam se uniformare debet, missas votivas excludit (1). Si vero semiduplex officium Sacerdotis ejusdem est coloris cum dupliciti officio Ecclesiae in qua celebrat, tunc exter Sacerdos potest dicere missam votivam in colore utroque officio conforme, quia in tali casu officium semiduplex sacerdotis celebrantis permittit missas votivas et officium duplex Ecclesiae exigit solummodo concordantiam coloris, non autem missae.

7. Sacerdos habens officium duplex, quod excludit missas defunctorum et celebrans in aliena Ecclesia sive regularium sive aliorum, in qua est officium semiduplex aut inferioris ritus, quod missas defunctorum permittit, non potest ea die in hac Ecclesia dicere missam privatam de Requie, ob proprium officium duplex; etiamsi illa die in hac Ecclesia fiant exequie pro aliquo defuncto praesente corpore, vel a universarium, aut aliud solemne officium pro defunctis, pro quibus exter sacerdos missam privatam dicit (2).

8. Sacerdos habens officium semiduplex vel simplex aut feriale et celebrans in Ecclesia sive regularium sive aliorum, in qua illa die recitatum est officium duplex de non praecepto et sine solemnitate, prout de aliquo sancto sui ordinis, pariter non potest dicere missam privatam de Requie, ob duplex officium Ecclesiae ubi celebrat, cui in colore se uniformare tenetur (3). Decreta enim generalia prohibentia missas de Requie in

(1) S. R. C. 11 Sept. 1847 n. 5116. ad 3.

(2) S. R. C. 7 Maji 1746 n. 4181 ad 13. q. 1—16 Dec. 1828 n. 4645 ad 6.

(3) S. R. C. 9. Jan. 1668 n. 2438.

duplicibus, nedum respiciunt festa Ecclesiae universalis, sed etiam propria festa ordinum regularium, pro eorum Ecclesiis concessa (1).

9. Quum officium Ecclesiae sit semiduplex aut inferis ritus, tunc color Ecclesiae non est in praecepto et a Sacerdotibus illius Ecclesiae in alium etiam immutari potest, juxta qualitatem missae quam celebrant. Et sicuti sacerdotes Ecclesiae tunc possunt celebrare missam officii, quod recitarunt, aut de Requie, vel aliquam votivam habentem proprium colorem; ita quoque exter sacerdos in eadem Ecclesia celebrans et recitans officium duplex, potest quidem, sed non omnino tenetur se conformare quoad missam et colorem huic Ecclesiae; quia tantum in duplice officio Ecclesiae conformitas cum eodem officio servanda est. Propterea sacerdos recitans officium duplex et celebrans in Ecclesia, ubi semiduplex fit officium aut inferioris ritus, potest dicere missam propriae duplicitis et in colore congruenti suo officio, licet color Ecclesiae diversus sit a colore officii sacerdotis celebrantis, nisi tamen tuuc ratio temporis aut prohibitio obstet; atque haec missa propriae officii duplicitis nequit dici ritu votivo, sed juxta n. 5. praec. omnino ritu festivo duplice est dicenda. Item, si celebret in tali casu missam de officio Ecclesiae, non ritu votivo illam faciat, quod suum officium duplex ei non permittit, sed ritu festivo semiduplici, servans omnia, quae Directorium Ecclesiae, in qua celebrat hoc die prescribit (2). Sic in Diec. Viln. die 9 Octobris officium est duplex octavae SS. Angelorum Cust. Eadem die in Ordine S. Francisci Conventualium recitatur officium. SS. Dyonisii etc. MM. sdx. Ergo sacerdos saecularis Dioec. Viln. celebrans eadem die in aliqua Ecclesia PP. Ord. S. Fran. Conv. ubi est officium sdx de SS. MM. Dyonisio etc. non potest quidem dicere missam votivam aut de Requie, ob duplex proprium officium sed potest di-

(1) S. R. C. 4 Dec. 1688 n. 3176.

(2) Cav. T. 3, cap. 12. decr. in ord. 80. n. 4.

cere missam propriam octavae SS. Angelorum in colore albo, quia color ruber Ecclesiae non est de pracepto, et eadem die in illa Ecclesia ss. paramenta omnium colorum permittuntur. Potest etiam si ei placet dicere missam officii Ecclesiae, id est de SS. MM. Dyonisio etc. sed propter conformitatem non aliter, quam juxta Directorium Ecclesiae hujus Ordinis ritu Semiduplici, secunda oratio octavae S. Francisci, tertia Beatae.

10. Conformitas missae celebrantis cum officio Ecclesiae obtinet tantum in officio dupli, quod excludit missas votivas et defunctorum. Igitur sacerdos habens officium semiduplex, simplex, aut feriale et celebrans in Ecclesia, ubi simile fit officium semiduplex aut inferioris ritus, potest quemlibet petere colorem ac missam celebrare de suo officio, au de officio Ecclesiae, vel de Requie, aut aliquam votivam in colore convenienti; quia in tali casu color ss. paramentorum non est de pracepto, nisi particularis circumstantis loci exceptum habere voluerit colorem nigrum (1). Sic die 14 Novembris in Dioec. Viln. et nonnullis aliis officium est S. Martini P. M. sdx. Eadem die in Ordine SS. Trinitatis recitatur officium S. Didaci C. sdx. in Ord. S. Francisci Convent. B. Gabrielis Ferreti C. pariter ritu semiduplici. Si ergo die 14. Nov. aliqui Sacerdotes ex Ord. PP. SS. Trin. aut ex Ord. S. Fran. Cony. celebrent in Ecclesiis saecularibus, ac vicissim sacerdotes saeculares celebrantes in Ecclesiis eorumdem regularium, possunt pro libitu suo dicere missam de officio proprio, vel officii Ecclesiae in qua celebrant, aut de Requie, vel aliquam votivam in colore rubro, vel albo, aut etiam violaceo. Sed eadem die 14 Nov. in Ord. SS. Francisci de Observ. officium est B. Gabrielis Fer. C. dx; in Ord. S. Dominici B. Joannis Liec. C. dx; in Ord. B. M. V. de monte Carmelo aut. reg. Obs. officium est OO. SS. ejusdem Ordinis dx maj; in Congreg. Can. Reg. Later. est officium

(1) Hac eruitur ex decretis S. R. C. supra citatis.

S. Laurentii Ep. C. dx. Sacerdotes igitur eorundem Ordinum habentes officium duplex et hac die celebrantes missas privatas in Ecclesiis Ord. SS. Trin. vel in Ecclesiis Ord. S. Fran. Convent. ubi fit officium semiduplex, non possunt dicere missas votivas, neque de Requie ob proprium officium duplex, sed quilibet eorum debet dicere missam proprii officii in colore albo, quia hic color est etiam color Ecclesiae. ViciSSim quando aliquis sacerdos ex Ord. SS. Trin. vel ex* Ord. S. Fran. Conv. habens officium sdx. die 14 Nov. celebraT in Ecclesia eorumdem regularium, qui recitant officium dx. non potest dicere missam votivam aut de Requie ob duplex officium Ecclesiae, sed propter unitatem coloris debet dicere missam propriam in colore albo, juxta proprium Directorium addendo commemorationes suffragias, nempe 2dam *A cunctis*, et 3tiam ad libitum. Item iidem sacerdotes regulares habentes die 14 Nov. officium duplex et celebrantes in Ecclesiis saecularium, in quibus est officium semiduplex S. Martini P. M. ob proprium officium duplex, missas, votivas aut de Requie dicere nequeunt, sed possunt dicere missas officii sui ritu dupli et in colore albo, quia color ruber Ecclesiae non est de pracepto. Possunt etiam dicere missam officii Ecclesiae de S. Martino, sed in colore rubro et ritu semiduplici, juxta Directorium Ecclesiae; nempe addendo 2dam orationem *A cunctis*, 3tiam ad libitum, uti in Directorio Dioecesano notatur. ViciSSim si sacerdotes saeculares celebrant illa die in Ecclesiis Ord. S. Fran. de Obser. aut Ord. S. Domin. vel Ord. Carmelit. sive in Ecclesiis Can. Reg. Later. non possunt dicere missas votivas aut de Requie ob duplex officium Ecclesiae; neque missam proprii officii de S. Martino propter diversum colorem et duplex officium Ecclesiae de pracepto, sed tenentur dicere missam Ecclesiae regularis, in qua celebrant in colore albo ritu dupli juxta Directorium eorundem regularium et sine commemorationibus suffragiis *Acunctis* et ad libitum, quae in missa de proprio officio S. Martini sunt addendae.

11. Festa mobilla Calendarii V. S. rarissime veniunt eadem die in Calendario N. S. vgr.

a) Pascha anno 1863. juxta Calendarium N. S. celebratur die 5. Apr. et juxta Calendarium V. S. die 31. Martii; proinde quando Christiani juxta Calendarium novum celebrant Pascha, eadem die Christiani utentes Calendario vetere Dominicam Palmarum habent. Igitur sacerdos sive saecularis sive regularis ex Dioecesi ubi est Calendarium V. S. habens officium Dominicæ Palmarum et celebrans in aliqua Ecclesia, ubi juxta Calendarium N. S. festum Paschatis celebratur, propter solemnitatem festi tenetur dicere missam de Paschate in colore albo. Vicissim sacerdos juxta Calendarium novum recitans officium Paschatis et celebrans in Ecclesia, in qua juxta vetus Calendarium officium est Dominicæ Palmarum, propter conformitatem debet dicere missam de eadem Dominica in colore violaceo, absque ullo respectu proprii officii Paschatis.

b) Juxta Calendarium N. S. Ascensio Domini anno 1863 celebratur die 14. Maji et eadem die juxta Calendarium V. S. quae est 2. Maji festum est S. Athanasii Ep. C. E. D. dx. utrumque albi coloris. Sacerdos ergo habens juxta Calendarium vetus officium S. Athanasii et celebrans in Ecclesia, ubi fit festum cum solemnitate Ascensionis Domini juxta Calendarium novum, omnino teneatur dicere missam de festo Ecclesiae, id est de Ascensione propter solemnitatem festi et concursum populi. Quando autem Sacerdos recitans officium de Ascensione celebrat eadem die in Ecclesia, ubi est officium duplex S. Athanasii sine solemnitate, debet dicere missam non de S. Athanasio, sed propriam de Ascensione ritu dx 1. cl. sine ulla commemoratione, non respectu solemnitatis sui festi Ascensionis, sed quia utrumque officium sacerdotis celebrantis et Ecclesiae ejusdem est albi coloris. Si vero sacerdos recitans officium de Ascensione celebrat in Ecclesia, ubi festum S. Athanasii peragitur cum solemnitate, tanquam titulus vel Patronus principalis Ecclesiae, tunc ob solemnitatem festi debet di-

cere missam de S. Athanasio, *juxta ritum Ecclesiae, in qua celebrat.*

c) Justa Calendarium vetus anno 1863 festum SS. Corporis Christi celebratur die 30 Maji in Colore albo; eadem die, quae est 11 Junii juxta Calendarium novum festum est S. Barnabae Ap. dx maj in colore rubro. Sacerdos recitans officium S. Barnabae juxta Calendarium n. s. et celebrans in Ecclesia, ubi eadem die juxta Calendarium V. S. festum fit cum solemnitate SS. Corporis Christi, tenetur dicere missam de festo Ecclesiae, id est de SS. Corpore Christi propter solemnitatem et concursum populi. Sed quando vicissim sacerdos habens solemnne officium Corporis Christi juxta Calendarium V. S. celebrat in Ecclesia, in qua juxta Calendorium N. S. fit officium S. Barnabae Ap. item debet dicere missam de officio Ecclesiae, id est de S. Barnaba propter conformitatem coloris, quia color officii Ecclesiae diversus est a colore officii celebrantis; licet proprium officium celebrantis est solemnissimum sub utroque praecepto et altioris ritus.

d) Eadem conformitas servanda est in aliis festis mobilibus, et immobilibus diebus privilegiatis, atque omnibus Dominicis utriusque Calendarii, quando sacerdotes respective celebrant in alienis Ecclesiis.

12. Persaepe sacerdotes regulares diebus dominicis et festivis excurrunt ad Parochias in vicina positas ad succurrendum Parochis, ad supplendum vices pastoris absentis vel infirmi, aut vocati in sepultura cadaveris vel in exequiis solemnibus. Tales sacerdotes regulares debent in missis solemniter vel quasi solemniter cantatis officium suum prorsus negligere et sese conformare officio Ecclesiae, cantando missam de die, vel de Sancto, sive votivam aut de Requie ad formam et ritum Ecclesiae in qua celebrant; etsi habent officium proprium dx 1. aut 2. classis, sive, de praecepto sive non aut de octava privilegiata (1). Hoc tantum obtinet in mis-

(1) S R C 15 Dec. 1691 n. 3259—3. Oct. 1699 n. 3534—11 Jun. 1701. n. 3586 ad 1—23 Aug. 1704 n. 3703 ad 7—29 Jan. 1752 n. 4223 ad 11.

sa solemniter cantata , quae dicitur summa seu magna missa, quia celebrando hanc missam alienus sacerdos vicem proprii Pastoris agit (1); non autem in missis privatis, in quibus hi sacerdotes regulares sese conformare Ecclesiae debent, ut supra dictum est.

13. Plurimi Sacerdotes regulares extra suum Monasterium cura animarum penes Ecclesias Parochiales tanquam Parochi vel Vicarii, aut Capellani occupantur, ibique quotidie celebrare tenentur. Tales sacerdotes regulares officium canonicum debent recitare juxta Calendarium Ordinis sui, ad quem per Professionem religiosam pertinent. Diebus autem Dominicis et festivis missam solemnem celebrare semper juxta Calendarium Dioecesis tenentur, nihil addendo de officio a se recitato. Quoad missas vero privatas debent se conformare Ecclesiae, in qua celebrant; etiamsi ob hanc conformatiōnēm hi sacerdotes regulares penes Ecclesias parochiales morantes frequentissime deberent dicere missas non concordantes cum propriis officiis Ordinis (2).

IV.

1. Missae quae in Romano Missali non habentur, aut a Sede Apostolica nondum sunt approbatae licite celebrari non possunt nam Sacrorum Rituum Congregatio missas non approbatus omnino prohibuit, quod decretum. S. D. N. Papa Urbanus VIII. ab omnibus servari mandavit (3). Ut ergo missa propria de aliquo sancto, vel Beato, aut Mysterio a sacerdotibus dici posset, omnino necesse est, ut sit a Summo Pontifice aut a S. R. C. approbata et pro ipso sacerdote celebrante concessa (4).

2. Sacerdos saecularis nunquam potest dicere missam approbatam et concessam pro certis regularibus,

(1) Hac patet ex descr. S. R. C. 7 Maii 1746 n. 4181 ad 13.
q. 1.—16. Dec. 1828. n. 4645 ad 6.

(2) Mer. T. 1. p. 1. tit. 14. n. 1.

(3) In decreto initio Missalis, apud Gard. n. 740 ad 1.

(4) S. R. C. 28 Dec. 1682 n. 3005 ad 7.

cet in Ecclesia eorumdem regularium celebret (1). Igitur celebrans sacerdos saecularis in Ecclesia regularium dobet se conformare huic Ecclesiae; sed missam tam solemnem quam privatam ex Missali Romano et juxta illius rubricas, non vero missas proprias Sanctorum vel Mysteriorum iisdem regularibus concessas dicere tenetur. Hanc ob causam in Sacristiis Regularium Missale Rómanum omnino inveniri debet. Si vero in Missali Romano propria Missa illius Sancti de quo fit officium in Ecclesia regularium non invenitur: dicenda est missa de commi ejusdem Sancti, sed semper ex Missali Romano (2).

3. Si in Missali Romano desit missa de aliquo Mysterio, quae concordet cum officio Regularium Ecclesiae, in qua sacerdos saecularis celebrat in tali casu nequit ille dicere missam his regularibus concessam, sed potest dicere missam ex Missali Romano de alio Mysterio, quod similitudinem aut aliquam connexionem habet cum Mysterio, de quo regulares illius Ecclesiae officium recitant. Si exg. desit in Missali Romano missa de Spina aut corona Domini, tunc poetst dici missa de Cruce vel Passione (3). Item dicenda est missa de Circuncisione Domini, si in Missali non habeatur missa de SS. Nominis Jesu (4). Si desit missa propria alicujus festi B. M. V. potest dici una ex ejus votivis in fine Missalis positis; at non ritu votivo, sed conformando semper ritui, qui in hac Ecclesia servatur.

4. Missae specialiter regularibus concessae, quas sacerdotes exteri in Ecclesiis eorumdem regularium licite dicere possunt, sunt sequentes (5):

(1) S. R. C. 19 Nov. 1622—Gav. T. 1. p. 3. tit. 10. n. 16—Mer. T. 1. p. 1. tit. 14. n. 1.

(2) S. R. C. 26 Jan. 1664 n. 2259. q. 2—13 Febr. 1666 n. 2363 ad 4—22 Maii 1683 n. 3028—Bened. XIV. de Sacr. Missae § 207.

(3) Mor. T. 1. p. 1. tit. 14. n. 1.

(4) Gav. T. 1. p. 3. tit. 10. n. 16.

(5) Mer. T. 1. p. 1. tit. 14. n. 1. Romsee T. 1. p. 1. cap. 1. art. 14. n. 3. ad finem.

a) Benedictus XIII. 10 Febr. 1727 anno concessit, ut quilibet Sacerdos in festo S. Benedicti et infra octavam possit in Ecclesia Benedictinorum utriusque sexus dicere missam propriam cum Prefatione propria (1).

b) Clemens XIV. 18 Jun. 1773 an. concessit, ut sacerdotes tam saeculares quam regulares, celebrantes in Ecclesiis Ordinis Eremitarum S. Augustini, possint in omnibus uti Missali Augustiano.

c) Pius VI. 5. Sept. 1775 an. concessit, ut quilibet sacerdos celebrans in Ecclesiis Ordinis Minorum S. Francisci, possit prorsus in omnibus uti Missali Franciscano.

d) Idem Pius VI. 14 Aug. 1777 an. concessit, ut quilibet sacerdos, in qualibet Ecclesia Carmelitarum Discalceatorum utriusque sexus sacrificans, possit in omnibus uti Missali Carmelitano.

5. Missae Beatorum non canonizatorum, quae fuerunt indultae certis personis, nempe Presbyteris regularibus vel saecularibus alicujus loci vel Monasterii, seu Presbyteris alicujus Ecclesiae servitio praecipue addictis, a confluentibus sacerdotibus ad hanc Ecclesiam devotionis gratia, quamvis dignitate etiam Cànonicatus insignitis, minime celebrari possunt (2). In tali casu confluentes sacerdotes se conformare debent officio proprio et celebrare missam, quae occurrit in eorum proprio Directorio, quatenus color ss. paramentorum Ecclesiae ubi celebrant sit idem et non disconveniat. Secus enim alibi est celebrandum (3); vel si in eodem loco alia Ecclesia desit, celebranda est a confluentibus sacerdotibus missa propria in paramentis coloris mixti aut medii inter colorem Ecclesiae et celebrantis vel etiam in colore Ecclesiae. Sacius est enim ut plures notant in quo-cumque colore facere sacrum, quam illud omittere.

6. Quum missae de beatis celebrari possint tantum in illis Ecclesiis pro quibus concessum est ipsorum of-

(1) S. R. C. 21. Mart. 1744 n. 4154.

(2) S. R. C. 27 Sept. 1659 n. 2002 ad 6.

(3) S. R. C. 11 Jun. 1701 n. 3588 ad 2. et 3.

ficium; igitur sacerdotes recitantes ex privilegio speciali officium de aliquo Beato, quibus et missa ejusdem Beati est concessa, sed celebrantes in aliena Ecclesia, pro qua haec missa non est indulta, et ubi fit officium de aliquo Sancto, vel Mysterio licet ejusdem coloris, non possunt dicere missam officii sui, scilicet de Beato, sed tenentur se conformare Ecclesiae, in qua celebrant (1); nempe debent dicere missam de Sancto vel Mysterio, de quo in hac Ecclesia officium peragitur.

7. Regulares nullo modo possunt recitare officium et celebrare missas aliis Ordinibus concessas, absque speciali privilegio, sed tantum sola communicatione privilegiorum (2). Tunc solum id facere possunt, si indulsum extensionis privilegiorum sibi concessum habeant (3).

8. Si pro tota aliqua civitate vel Dioecesi vel Regno missa quaedam propria concessa sit, hanc alieni Sacerdotes in eodem loco, non tenentur sed possunt celebrare; quia in hoc casu privilegium est locale non personale, quod scilicet potius locum, quam personas afficit, propterea pro omnibus in illo loco celebrantibus est concessum (4).

V.

I. In Oratorio seu Capella privata missa semper concordare debet cum officio, quodquisque recitat (5). Proinde sacerdos celebrans in privato Oratorio debet missam dicere propriam sui officii; etiamsi color ss. paramentorum hujus officii diversus sit, a colore officii parochialis Ecclesiae, intra cujus fines Oratorium est situm. Potest etiam dicere missam votivam aut de Requie-

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816 n. 4526 ad 17.

(2) S. R. C. 28 Dec. 1682 n. 3005 ad 7—20 Mart. 1706. n. 3741 ad 3—18 Dec. 1779 n. 4394.

(3) S. R. C. 27 Aug. 1707 n. 3774 ad 4—1 Sept. 1708 n. 3792.

(4) Quant. p. 1. tit. 14. dub. 2.

(5) S. R. C. 12 Nov. 1831 n. 4669 ad 31. q. 1—23 Maii 1831. n. 4751 ad 1. q. 2.—16 Apr. 1853 n. 5183 ad 14.

si suum ofieium id permittat; licet in parachiali Ecclesia ritu duplii officium fiat. Excipiendum est tantum festum Patroni loci, de quo et in Oratorio privato missa celebrari debet; quia hoc festum totum locum afficit et hanc ob causam proprium officium Sacerdotis celebrantis, officio Patroni loei cedere debet.

2. Quoad Oratoria publica idem dicendum est ac de Ecclesiis; scilicet in Oratoriis publicis missa celebranda est juxta Calendarium Dioecesanum aut regulare, prout Oratoria ad sacerdotes saeculares vel regulares pertinent et ab iis officiantur (1). Alieni etiam Sacerdotes accedentes ad sacrum faciendum in publicis Capellis in colore ss. paramentorum et in missa semper sese conformare debent iisdem Capellis in quibus celebrant, uti dictum est de conformitate in Ecclesiis (2).

VI.

1. Confessarius aut Capellanus quarumcumque Monialium, quae ad Chorum sunt professae, spirituali servitio addictus, ut officium Chori expleatur potest ac debet quotidie celebrare missam principalem seu conventualem, sive haec sit cantata sive lecta conformem officio diei, quod a Monialibus in choro recitatur et in colore ejusdem officii; licet officium Monialium inferioris sit ritus. In tali casu hic sacerdos negligit missam officii propria et dicit missam officii Monialium juxta carumdem Directorium sive de festo sive de feria vel etiam votivam aut de Requie, quando officium earum permittit et fundatio postulat. In missa autem facit omnes commemorationes, in eodem Directorio Monialium praescriptas, quas facheret, si officium Monialium ipse

(1) S. R. C. 10 Jun. 1656 n. 1805—27 Aug. 1707 n. 3774 ed 5—1 Sept. 1708 n. 3792—22 Mart. 1817 n. 4533 ad 2—16 Dec. 1828 n. 4645 ad 2.

(2) S. R. C: 4 Sept. 1745 n. 4175 ad 8—7 Maji 1746 n. 4181 ad 13. q. 2—22 Mart. 1817 n. 4533 ad 1.—16 Dec. 1828 n. 4645 ad 1.

recitasset; de suo vero officio nullam addit commemo-
rationem. Haec regula servanda est tantum in Eccle-
siis Monialium, quae ad chorum sunt professae, seu quae
totum officium canonicum recitare debent; et non spec-
tat ad Ecclesias Monialium, quae officium parvum B. M.
V. solumodo recitant (1).

2. Capellani Monialium, quae non utuntur Breviario Ro-
mano, aliqui sacerdotes exteri, qui celebrant in earum-
dem Ecclesiis missas tam solemnes quam privatas, nisi
sint ejusdem cum Monialibus Ordinis, non possunt su-
mire missas proprias Sanctorum illarum Monialium Or-
dini concessas, sed tenentur celebrare missam confor-
mem officio Monialium, sen de Sancto vel Mysterio, de
quo Moniales recitant officium, cum Missali Romano, uti
in proprio de Sanctis, vel de Communi, si intra Missa-
le Romanum non invenitur de eo missa propria; nisi
circa hoc in illis Ecclesiis speciale Indultum habe-
retur (2).

3. Facultas celebrandi cum Missali Romano missam
officii Monialium pro earum Capellanis data, intelligi
debet pro omnibus et singulis sacerdotibus, qui ex de-
bito celebrare missam principalem in Ecclesiis ipsarum
Monialium tenentur (3). Igitur alii Sacerdotes conflu-
entes ad Ecclesias Monialium, qui non solemnes vel con-
ventuales, sed privatas celebrant missas, diebus ritus
duplicis se conformare debent colori ss. paramentorum
harum Ecclesiarum in quibus celebrant (4); proinde ea
die quando in Ecclesia Monialium officium est duplex et
color ss. paramentorum diversus est a colore officii sa-

(1) S. R. C. 28 Oct. 1628 n. 772 ad 11—11 Jun. 1701 n. 3588
ad 1—18 Mart. 1702 n. 3622 ad 2—20 Nov. 1717 n. 3904—20
Sept. 1866 n. 4501 ad 12 et 13—11 Apr. 1840 n. 4883.

(2) S. R. C. 13 Febr. 1666 n. 2373 ad 5—11 Febr. 1702 n.
3617 ad 3—2 Apr. 1707 n. 3766—20 Noo. 1717 n. 3904—15 Jul.
1769 n. 4348 ad 2—Gav. T. 1. p. 3. tit. 10. n. 16—Mer. T. 1.
p. 1. tit. 14. n. 1.

(3) S. R. C. 11 Febr. n. 3617 ad 3.

(4) S. R. C. 7 Dec. 1844 n. 5005.

cerdotis celebrantis, tenentur celebrare missam privatam respondentem officio Monialium et semper cum Missali Romano. Si autem color sit idem, tunc missam sui officii dicere debent. Si Moniales S. Benedicti die 13 Febr. recitant officium de S. Gregorio II. P. C. sub rito duplici in colore albo: In Dioecesi Vilnensi hac dies est propria officii S. Polycarpi Ep. M. dx. quod exigit colorem rubrum. Capellanus ergo earum sacerdos e Cle-ro Saeculari, habens officium eadem die de S. Polycarpo, celebrat missam conventualem de S. Gregorio in colore albo, cum commemoratione octavae S. Scholasticae. Si vero non conventualem sed privatam eadem die missam in hac Ecclesia ei dicere contigerit, pariter non potest dicere missam officii sui, id est de S. Polycarpo, at semper dicenda est officii Ecclesiae de S. Gregorio, quia color officii illius ruber, diversus est a colore Ecclesiae albo. Idem dicendum est, si eadem die aliquis exter Sacerdos ad Ecclesiam earumdem Monialium missam privatam celebrare veniat. Item Moniales S. Benedicti die 15. Januarii recitant officium S. Mauri Ab. C. dx 2. d. in colore albo. Capallani ergo earum sive saeculares, sive regulares sacerdotes, qui eadem die ha-bent officium S. Pauli Erem. C. dx debent omnino in Ecclesiis illarum celebrare missam conventualem seu prin-cipalem conformem officio Monialium, id est de S. Mauro, omittentes missam de suo proprio officio S. Pauli. Aliae autem missae privatae tam a Capellanis quam ab exte-ris Sacerdotibus possunt hac die dici de S. Paulo, quia color utriusque officii idem est albus; licet officium S. Pauli inferioris sit ritus. Si festum S. Mauri in aliqua Ecclesia Monialium S. Benedicti celebratur cum solemni-tate, tunc Capellani et exteri sacerdotes non tantum mis-sam solemnem, sed et missas privatas non alias possunt dicere ob solemnitatem festi, quam de S. Mauro.

4. Prohibitio facta (1) sacerdotibus saecularibus, qui licet recitaverint officium semiduplex vel simplex aut

feriale, ne celebrant missam de Requie in Ecclesiis Regularium, in quibus recitatum est officium duplex de non praecepto, vel de aliquo sancto eorumdem Ordinis, intelligi etiam debet pro Ecclesiis Monialium, quae vere sunt regulares (1). Nam omnia, quae ad sacros ritus, divinaque spectant officia et decisa sunt pro Regularibus viris, itidem ad regulares foeminas pertenent.

(1) S. R. C. 11 Febr. 1702 n. 3617. ad 4.

